

## VIGINTI NOVEM PROPOSITIONES CATHOLICAE

DE PURGATORIO, QUAE PVBLICE DISPUTABVNTVR INGOLSTADII IN

Schola Theologorum IX. Calendarum Iunij, erudito uiro Francisco Thomae Leopbanensi, liberalium disciplinarum Magistro, &amp; sacrae Theologiae studioso, Defensore, Praeside uero &amp; arbitro Georgio Theandro sacrarum literarum Doctore &amp; Professore ordinario, quod ut procedat feliciter, faxit Deus.



- Math. 22.** **V**i absq; ueste nuptiali, hoc est, gratia Dei emigrarint ex hac uita, irrevocabili sententia iudicis tradentur carceri Gehennae perpetuo, cum rex dicet ministris, Ligatis manibus & pedibus projicite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium.
- Math. 11.** **2** Qui uero in gratia Dei hinc excefferint, poenas uero peccatis debitas nondum plenè exoluerint, adiudicabuntur carceri purgatorij temporali, dicente Christo. Non exibis inde donec reddas ultimum quadrantem.
- Eccle. 11.** **3** Neq; aduersatur nobis illa scripturae autoritas, Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocunq; loco ceciderit, ibi erit, praesertim cum et ij, qui ad purgatorium destinantur, cadant in meridiem, & sint e numero saluandorum. Certi enim sunt de salute sua.
- Apoca. 21.** **4** Cum nulli pateat aditus in sanctam illam & caelestem ciuitatem Hierusalem, nisi ab omni peccatorum macula, & quasi scoria expurgato, necessum est minima etiã delicta, uel in hac uita, uel post hanc uitam expiari.
- 5** ~~Porro quibus peccatis hanc uitam, intelligi oportet uel de peccatis leuioribus, quae uenialia dicimus, uel de penis peccatorum, quae adpellatione peccatorum nonnunquam in scripturis uocantur.~~
- 6** Si nulla esset remissio peccatorum post hanc uitam speranda, quid ita loqueretur Christus? Qui dixerit uerbum contra spiritum sanctum, non remittetur ei, neq; in hoc seculo, neq; in futuro.
- 7** Doctrinam Ecclesiae de purgatorio adstruit etiã, et confirmat illud Apostoli uerbum. Si cuius opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem saluus erit, sicut tamen quasi per ignem.
- 8** Detestandus est Philippus, qui in consutatione Bauaricae Visitationis falso & mendaciter imponit Catholicis, quod defendant purgatorium, ne lucra quae habent ex inferijs funebribus, amittant, ac uerius dimicare eos pro focis quam pro aris.
- 9** Verè penitenti omnis remittitur culpa, & pena mortis aeternae, loco cuius temporalem penam frequenter substituit Deus, quae uel in hac uita, uel in purgatorio sit expianda.
- 10** Post remissionem culpae non statim omnem aboleri penam, ex diuinis literis compertum est, & testis luculentissimus est ipse Dauid, qui post remissum peccatum singulis noctibus lachrymis rigauit stratum suum.
- 11** Potest tamen tanta esse in poenitente contritio, & feruor charitatis, qui omnem tollat simul & culpam & penam, prout fuit in Maria illa peccatrice, de qua dixerat Christus ad Simonem Phariseum, Remissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.
- 12** Ceterum doctrinam de remissione culpae, quae beneficio Christi nobis contingit, et commutatione penae aeternae in temporalem, quae uel bonis operibus in hac uita, uel supplicio purgatorij post hanc uitam sit compensanda, confirmat etiã mox sequens Christi uerbum, Cui autem minus remittitur (inquietis) minus etiã diligit.
- 13** Satisfactio Christi propitiatoria est culpae, & abolitorea mortis aeternae, quam tamen non adplicat nobis, nisi per fidem, contritionem, & quae ipse instituit, sacramenta.
- 14** Satisfactiones Canonicae reliquijs tantum peccatorum medentur, & mitigant poenam temporalem, idq; non ex dignitate sua, sed ex merito & satisfactione Christi.

- Con. Baua. in= 15** Impudenter, medicam impiè reijcit Philippus omnes Canonicas satisfactiones, tanquam non necessarias, nihilq; pertinentes ad remissionem ularum penarum temporalium, sed esse tantum politicum quendam morem Ecclesiae, ad dehortandos ceteros à flagitijs institutum.
- 16** Et si uocabulum purgatorij sacris literis non legitur proditum, quemadmodum nec sanctae Trinitatis, nec personae nomen, superuacanea tamen contentio est de uocabulo, ubi de re ipsa satis constat.
- 17** Adpellat scriptura passim eum locum Infernum, ut cum Dauid clamat ad Dominum, Domine Deus meus clamaui ad te & sanasime. Eduxisti ab inferno animum meum. Non utiq; petit educi ab inferno damnatorum: quia inde nulla est redemptio.
- Psal. 29.** **18** Scriptura peculiari quadam Phrasi omnem locum adpellat infernum, qui animas post mortem recipit, ut lymbum patrum, purgatorium, locum paruulorum. Hinc Iacob Patriarcha. Descendam (inquit) lugens ad filium meum in infernum.
- Gene. 37.** **19** Quocunq; alij nomine eum locum uocent, non multum laboramus, nihil uolentes contendere de uerbis, quod Apostolus prohibet. Nos ad discernendum eum locum ab inferno damnatorum, recepto uocabulo adpellamus purgatorium.
- 2. Timoth. 2.** **20** Iam communem purgatorij locum constituunt, qui inferior sit, coniunctus inferno. ita quod idem ignis sit, qui cruciat damnatos in Inferno, & purgat iustos in purgatorio.
- Tho. con. gentes.** **21** Tametsi probabile quoq; sit, ut in iisdem plerunq; locis anima penam sustineant.
- Hug. de e. Victor.** **22** Et cum duplex sit pena purgatorijs Vna sensus, damni altera, utraq; sanè grauior est, quam quicquid potest in hoc seculo penarum uideri, aut cogitari, aut sentiri.
- August. Psal. 37.** **23** Iuuantur autè anime in purgatorio detenta, ut à penis citius liberentur, nostris orationibus, ieiunijs, elemosynis, peregrinationibus, & alijs pijs operibus, maxime uero omnium oblatione mediatoris, ait D. Augustinus.
- In Ench. cap. 110.** **24** Defunctos iuuari precibus uiuorum preter. S. patrum scripta, testantur etiã libri Machabeorum, quos Canonicos esse sancti patres ad firmant. Et in Concilio Carthaginiensi tertio, cui D. Augustinus interfuit, duo libri Machabeorum inter Canonicos recensentur.
- Ad Ph. cap. 1. Hom. 9.** **25** Non temerè ab Apostolis sancitum est, inquit D. Chrysostomus, ut in tremendis mysterijs defunctorum agatur commemoratio. Sciunt enim illis multum inde contingere lucrum, utilitatem multam.
- 26** Sed cum D. Augustino dicimus eis haec prodesse, si cum uiuerent, haec sibi ut postea prodesse, meruerunt.
- Ad Laur. cap. 110.** **27** Pro ualde bonis sunt ista gratiarum actiones, pro non ualde bonis propitiationes sunt, pro ualde malis, & si nulla sunt adiumenta mortuorum, qualescunq; tamen sunt consolationes uiuorum.
- Aug. ubi sup.** **28** Ut nimia funeris curatio, ac sumptuosa pompa sepulturae non prodest malis, ita nec uilis obest bonis. Suntq; haec solatia magis uiuorum, quam subsidia mortuorum.
- Aug. de ciuitate Dei lib. 1. cap. 12.** **29** Itaq; poenas purgatorij ignis restare mortuis post hanc uitam, quas dum in uiuis agerent, non plenè pro peccatis exoluerunt, non est fabula, ut heretici nugantur, sed certissimum Catholicae Ecclesiae dogma.
- Conclusio.**

Ingolstadij Alexander &amp; Samuel Vucissenhorn fratres excudebant, Anno a Christi natalibus.

M, D, LX.

J S. GO.

